



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 35. Benedictus XI Papa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIV. næ 9 Septembris usque ad horam sex-
 A.C. 1303. tam matutinam. Tum Anagnini dereli-
 ctum a se Papam dolentes, correptis con-
 tra Gallos armis clamabant: Vivat Pa-
 pa, & pereant proditores! Et quia longe
 præstabant numero, eos ex palatio &
 urbe facile pepulerunt, renixos tamen,
 & aliquam suorum jacturam passos. Ita
 se liberatum, & hostes ejectos videns Pa-
 pa non ideo serenam monstrabat fron-
 tem: tam graviter ferebat se fuisse ca-
 ptum. Anagnia mox tota cum aula
 sua profectus Romam, ad S. Petri habe-
 re concilium volebat, & palam ulcisci
 injuriam sibi ac Ecclesiæ a Rege Gallo-
 rum factam. Sed dolore animi redun-
 dante in corpus obiit 11 Octobris an-
 1303, postquam federat annos octo, men-
 ses novem dies duodeviginti. Morti
 proximus fidei professionem fecit, ac se-
 pultus est ad S. Petrum in splendido
 sacello, quod in aditu templi condi-
 derat.

S. Villani
 c. 63.

Rayn. n. 42.

§. XXXV.

Benedictus XI Papa.

Papebr. p. 69 Summa Sedes decem tantummodo dies,
 nimirum, quam poterat, brevissime
 vacabat. Tunc enim primum observa-
Rayn. 1303. batur sanctio Gregorii X renovata per Cœ-
n. 45. lestinum V, & confirmata per Bonifa-
 cium

cium VIII, ne Cardinales intrarent con- Sæcul. XIV.
 clave cooptandi Papæ gratia, præter- A. C. 1203.
 quam nono die post obitum antecessoris.
 Modo postridie, quam intraverant, nempe
 22 Octobris concordibus suffragiis in Pa-
 pam elegerunt Nicolaum Tarvisinum Car-
 dinalem Episcopum Ostiensem: qui sequen-
 te dominica 27 ejusdem mensis inaugura-
 tus Benedicti XI nomen sumpsit; sed octo
 duntaxat mensibus regnavit. Patrem ha- J. VII. 8.
 buerat Notarium Tarvisinum Boccasium c. 66.
 Boccasinum nomine; ac Venetiis edu-
 catus, cum esset litteratus juvenis, in-
 formando pueros ibi victum aliquam-
 diu sibi comparabat. Deinde Prædica- S. Ant. 10. 3.
 torum Ordini adscriptus tanta scientiæ p. 263.
 ac virtutis dabat specimina, ut per of-
 ficia cuncta transfiret, fieretque Sub-Prior,
 Prior, Magister Provincialis, ac denique Ge-
 neralis nonus. Bonifacius VIII erat, cui Sup. l. 89.
 sacram debebat purpuram. Initio pon- §. 60.
 tificatus sui ad Episcopos & Principes Rayn. n. 47.
 circummisit epistolam 1 Novembris da-
 tam, in qua suos hanc ad dignitatem gra-
 dus, ac electionis ultimæ circumstantias
 memorat.

§. XXXVI.

Saraceni Nuceria expelluntur.

Paucis post diebus Carolo Neapolis Re-
 gi per litteras gratulabatur de Sara-
 cenis

M m 4